

eternam, non primum ac demum in novo fœdere, sed antea quoque in veteri fuisse promissam, & ex ipso DEI promisso à fidelibus ejus temporis expectatam, quo vix quidquam inveniri potest divinis testimoniis & oraculis magis contrarium. Similia habet diſtus modò auctor Comment. in 1. Epist. Joh. c. 1. p. 8. it. ep. 2. & 5. ad A. R. (quibus litteris alii Andream Radecium, Andream alii Reuchlinium, cujus ad Isaacum Casaubonum Parænesis proſtat, indigitari volunt.) Valentinus verò Smalcus Gotâ Thuringus, Cœtus Racoviensis in minori Poloniâ Minister inde Divinit. Christi c. 7. tantum abest, ut à Præceptoris sui errore latum unquam discedat, ut majori potius vehementia ac impudentiâ rem aggrediatur. Fatentur, scribit d. l. omnes hodieq; judæi, qui legis non possunt esse non peritissimi, & ejusdem observantissimi, quosq; idè nihil prætermisso plusquam credibile est, quod ad legem Mosaicam ostentandam pertinere posset, quale hoc esset, si vitæ æternæ promissam in eâ extaret: imò quos sibi non defuturos, nec tantâ re se ipsos frustraturos certum est; fatentur, inquam, omnes illi Judæi prudentiores, nullum vitæ æternæ apertum extare in ipsorum lege, vel ut apertius loquar, in fœdere, quod DEUS cum eis per Moſen pepigit, promissum. In fœdere autem id contineri necesse est, & non alibi, quod ad omnes Judæos in univèrsum pertineat. Pergit itaque: Quæ igitur hæc amentia est, Christianos, quorum hoc minus interest, quàm Judæorum, an in veteri fœdere promissum extet vitæ æternæ: imò quorum interest, Christi Domini sui, & suæ etiam præ populo Israëlitico præstantiæ rationem habere, velle tamen ex sacris litteris Veteris Testamenti probare, quòd DEUS in illo Veteri fœdere vitam æternam promiserit. Hæc Smalcus; Quo ipso etiam adhuc prior Christophorus Ostorodus Goslariensis Saxo, itidem Minister P'hotinianus, in Instit. Germ. C. 5. n. 3. scribere haut dubitavit, de æternâ remuneratione nullam fieri mentionem in lege Moſis, nec posse probari, quòd DEUS, antequam Christus manifestatus est,

vitam